

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae V.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

vendumque Curionem, quasi quaedam faces adhibentur.

Vinces] Apte, et proprie, quia dixerat, *gravis aduersaria*.

Quarum laudum gloriam adamaris] Implicata quibusdam videtur haec sententia: quae patebit, hoc ordine demonstrata. Si statueris, in iis artibus esse elaborandum, quibus eae laudes comparantur, quarum gloriam adamaueris; facillime vinces grauem aduersariam expectationem.

Quibus artibus] Quae sunt haec artes? quae, nisi morales virtutes, iustitia, fortitudo, temperantia? quibus et nobis ipsis, et patriae consulimus.

In hanc sententiam scriberem plura] Sic locutus lib. 1. de Orat. c. 25. *Neque haec in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream.*

Tua sponte satis incitatum] Vel ita sentit Cicero, vel apte simulat, ne sit grauis admonitio adolescenti, cuius animi magnitudinem, quae interdum cohortationes respuit, optime nouerat. ideo quasi se ex-

cusans epist. 1. quod eum admonendum putauerit, breuiter se velle praecipere, et id ipsum, incredibili amore coactum, prudenter posuit. Et epist. 3. cum dixit: *Quod ita esse confido*. Eodemque spectat illud epist. 5. *Non, quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat*. *Incitatum* autem dixit, in optimarum actionum cursu, ut ad propositam egregiis ciuibz laudem perueniat. Contra, *languet iuuentus*, dixit in oratione in Pisonem c. 33. quae nihil de laude laboraret, ad nullam recte agendi excitaretur industriam.

Inflammandi] Translatum est verbum, sed ita usu tritum, ut transierit in naturam proprii: itaque solum vsurpatur, ut lib. 1. epist. 7. *ut omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura atque industria consequare*.

Testificandi] Testimonio declarandi, ut exempla demonstrant. eandem sententiam aliter expressit lib. 10. epist. 3. *Haec, amore magis impulsus, scribenda ad te putavi, quam quo arbitrarer te monitis et praeceptis egere*.

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Rempublicam domesticis malis laborare significat: Curioni gratulatur, quod absit; vel quia ciuiles miseriae non videat; vel quod ibi sit, ubi magnam ex recte factis laudem consequatur. Postremo hortatur eum ad suscipiendam rempublicam, eius maxime patrocinio indigentem. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Haec negotia quomodo se habeant] Quo in statu respublica sit, qui sit rerum vrbicarum, et reipublicae status.

Ne epistola quidem] Tantum abest, ut per nuncios audeam significare, qui saepe produnt eorum fidei commissa.

Tibi]

Tibi] Hoc alii cum sequentibus coniungunt: ego superioribus applicare malui. Vnus Sigonii liber habet: *narrare tibi audeo*, quod mihi non displicet.

Vt scripsi ad te antea] Quae litterae non exstant.

In eadem es nauis] Omnibus, eodem nauigio vestis, idem periculum impendit. ergo, *in eadem nauis*, in eodem periculo. Idque frequens Latini sermonis usus obtinuit. Livius lib. 44. c. 22. *Primum a prudentibus, et proprie rei militaris peritis, et usu doctis, monendi imperatores sunt: deinde ab his, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut nauigio participes sunt periculi.* Tale illud ad Cornificium lib. 12. epist. 25. *Vna navis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus. utinam prospero cursu! Sed, quicumque venti erunt, ars nostra certe non aberit.*

Vel quod excelso et illustri loco] Ipse suorum verborum interpret est, cum subiungit: *In plurimorum et sociorum et civium conspectu.*

Et sociorum et civium] Imperium Romanum in ciues, et socios diuiditur. sociorum plura genera, Latini, Italici, prouinciales. quorum Latini iure, et conditione Italici reliquis praestabant, Itali vero prouincialibus. Porro socii non omnes foederati. aut enim sponcione, aut pactione, aut foedere socii fiebant. Foederati autem vel suis, vel Romanis legibus vinebant. foedere enim triplici exterae gentes amicitiam cum populo Romano iungebant, aequissimo, aequo, iniquo: aequissimo, qui numquam

hostes populi Romani amicitiam eius, neque datis, neque acceptis legibus, petierant: aequo, qui bello gesto, nondum victi, legibus non acceptis, pacem fecerant: iniquo, quibus bello victis leges, imposito tributo, dabantur. quae cum ex Liuio, tum ex aliis cognoscuntur. Ciues quoque distinguuntur, vel familiis, cum alii patricii, alii plebei sint; vel ordine, cum alii senatores, alii equites, alii de plebe; vel iure, cum alii ingenui, alii libertini.

Nec obscuro, nec vario] Intulit antitheta, et clarissima, et una.

Respondeat] Satisfaciat; ea sit, quam homines futuram putant. epist. 1. *Meis optatis fortuna responder.*

Debilitata iam prope et exstincta] Ad Luceium lib. 5. epist. 13. eandem sententiam sic enunciauit: *Circumspice omnia membra reipublicae, quae notissima sunt tibi, nullum reperies profecto, quod non fractum debilitatissime sit.*

Siue desperas] Vt omnino boni ciuis officio satisfacias, republica etiam desperata.

Meditare, cogita] Nemo est verborum copia, et ornamentis Latinae linguae, Cicerone florentior. *Meditamur* quieti, *cogitamus* maiore quodam mentis motu.

Ciue ac viro] Indiget enim publica non optimis tantum ciuibus, sed fortibus etiam viris. ideo vtrumque Cicero saepe coniunxit, vt lib. 4. ad Attic. epist. 15. *O virum! o ciuem! Mennumium.* Et in orat. pro Plancio c. 40. *Quid dicam? C. Virgilio, tali ciui ac viro, benevolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem,*